# HISTORIA
# S. ARDOVINI ANGLIGENAE
## DE CEPERANO,

Per modum Allegationis in iure deſcripta

A B

Antonio Vitagliano Ceperanenſe Philoſophiæ, ac Medicinæ Doct.

VRBINI, M. DC. XLV.

Superiorum permiſſu.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Serronus Magiſter, & ſocius Reuerendiſs. P. Fratris Michaelis Mazarini ſac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

# ETRO MVTO

## Sacræ Card. Congreg. Secretario, & Baſilicæ S. Petri Canonico digniſsimo.

POLLICITVS ſum tibi ſuperioribus diebus, quod humanitate tua profectum eſſet, id primò quoque tempore, Hiſtoriam S. Ardouini Angligenæ, noſtræ Terræ Ceprani, breuiter ad te mittere, quod quidem etiam mea facturus fueram ſponte, tum, vt animum tibi aperirem meum, tum, vt ſtudium, beneuolentiam, ac obſeruantiam, quam debeo, & abſens præſto. Quod ſi quando per te perſpicuè non poſſis (quod abſit, neque ubito) homines adhibeas in conſilium, viros probos, & amantes Illuſtriſimæ domus tuæ. Ad meam namque exiſtimationem id magnopere pertiiere arbitror, vt hiſce in rebus (ò vtinam) grauioribus, me memorem ntelligas, ac noſcas: opus autem qualecumque eſt tibi dicatum, ſic recipias, foueas, ac protegas rogo, vt eiectis improborum obtrectationibus, ſub tuæ tutelæ patrocinio acerrimè tuearis. Vale Ceprani 3. Kal. Februarij 1644.

D. Tuæ Illuſtriſ.

Obſequentiſſimus ſeruus

*Antonius Vitalianus.*

*RVBRICA.*

1 *Vita compendioſa S. Ardouini deſcribitur.*
2 *Vita vſque ad eius obitũ proficiſcitur*
3 *Sancti Ardouini animi, & corporis dotes explicantur.*
4 *Opera ſancti Ardouini recenſentur.*
5 *Ardouini conſtantia, & fiducia in aduerſis tolerandis.*
6 *Tolerantia ſobrietas, & caſtitas ſimul in Ardouino fuerunt.*
7 *Ieiuniũ quotuplex, eiuſdemq. effectus.*
8 *Miracula in vita operata, ſanctitatis ſunt ſigna in Ardouino.*
9 *Dies mortis illorum, qui gloriosè moriuntur, dicuntur natalitia.*
10 *Angelorum cantus in tumulo Ardouini, eius ſanctitatis fuit indicium.*
11 *Splendor demonſtrat corpora glorioſa*
12 *Tempore immemorabili pictus eſt cũ diademate radijs, et ſãcti deſcriptione*
13 *Conſtitutio Vrbani VIII. non obſtat Ardouini ſanctitati.*
14 *Odor corporis ſuauis ſanctitatis nota extitit in Ardouino.*
15 *Incorruptio partium corporis, Ardouini ſanctitatem ſignificat.*
16 *Miracula item poſt mortem, hoc idem oſtendunt.*
17 *Excuſatio auctoris.*

Iuris allegantia pro ſanctimonia beati Ardouini Angligenæ de Ceparano.

1 I*Nter cæteros viros Beatiſſimos (vt verbis legendæ vtar fol. 2. lect. 1. & ſeqq. Illuſtriſs. D. quos pia mater Eccleſia celeberrimè veneratur, dignisq. iugiter extollit laudibus; is ſanè erit vir quidem, vitæ venerabilis, ſatisque deuotus, ab ipſis crepudijs, nomine Ardouinus, ex Anglia oriundus, qui ſpernens infantia. mundum, & cuncta vitia, habitu peregrinationis ſuſcepto, ſuam dimiſit Patriam, Parentes dereliquens, petijt Ieroſolimam, Iordanem, Montẽ Oliueti, ac vniuerſa loca, in quibus Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, vel natus fuerit, vel miracula fecerit, vel prædicauerit, vel paſſus, mortuus, aut ſepultus fuerit, & tandem reſurrexerit, vel ad Cœlum aſcenderit; loco citat. fol. 3 lect. 6. patet.*

2 *Qui tandem velut peregrinus humillimus, Cœperanum adueniens, mox vt hoſpitij ſui limen intrauit, tanta ſubito languoris grauitate correptus fuit, vt in pacis, & vitæ viam, beatum emiſerit ſpiritum, quem Abrahæ ſinus latiſſime in patria beatitudinis eternæ ſuſcepit, prout fol. 5. lect. 9. clariſſimis verbis oſtenditur.*

3 *Vnde, vt ab eius ſancta, ac exemplari vita ſumamus exordium; non controuertitur, quin omnibus virtutibus, ac ſanctitate plenus vſque in finem fuerit & magno ſui ipſius exemplo relicto, cõfirmauit, & pleniſſimè in eius fæliciſſimo obitu, quandoquidem, licet in Angliæ partibus natus, et educatus ab ipſis pueritiæ annis, bona exiſtens indolis, pueros omnes innocentia, ſenes quoque morum grauitate ſuperabat die, nocteque cœpit in lege* Domini *meditari, & animam non ſolum opere, verum etiam verbotenus quomodolibet offendere cauebat. vt d legen. fol. 2. lectio 2 habetur*

4 *Præterea ſacerdotij dignitate poſtmodum ſublimatus, quibuſcumque poterat, cibi ſpiritualis Annonam, quotidie miniſtrabat; vt ibid. fol. 2. lect. 3. bonisq. operibus vigilantius inhærebat. fol. 4. lect. 7. Rurſus ad ſanctam* Ciuitatem *Ieruſalem cum profectus eſſet, quanta mentis deuotione, quantaque corporis manſuetudine, ad Redemptoris monumen-*

*mentum acceſſerit, explicari, nec literis poſſet. nec verbis quoq; plenariè ſignificari. fol. 3. lect. 5. Ex operibus autẽ eorum, cognoſcetis eos. inquit Matth. cap. 7. ex dictis igitur Ardouini operibus quid cogitandum ſit, reuerentiæ tuæ decernendum relinquo. opera enim illorũ ſequuntur illos. Io. Apocalipſ. 14*

5 *De eius admirabili fiducia verò ſatis, ſuperque cõſtat cum vitæ incõmoda, & pericula pro Dei honore non timebat, ſubſtinendo illa cum patientia, & perſeuerantia, vſque in finem. Actus autem ſubſtinendi patientiam; & perſeuerantiam includit, vt S. Thomas. 2 2. q. 123 & 128. fugacia mundi huius, & proſpera contempſit, aduerſa quoque, & aſpera pro Deo ferre, minimè formidauit. vt fol. 2. lect 3, conſtat, & ſubdit lect 4 languores diutiſſimos, & diſcrimina tolerauit creberrima, & quanto durioribus periculis angebatur, tantò conſtantius in Dei conualeſcebat Seruitio; imò adiungitur fol. 3 lect. 6. quod in locis ſingulis præmiſſis innumera fũdebat lacrymarum profluuia, ardens de Chriſti viſione, ac ſi illum in veritate cerneret, quem credebat per fidem. Permanſit igitur Ardouinus in bona fiducia, & ideò Coronam meruit Triumphalem, qui enim perſeuerauerit vſque in finem. ſaluus erit ex Mattheo ca. 10 ſerui autem facti Deo, inquit Apoſtol. 6. ad Roman. habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam, Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

6 *Quod ſpectat ad temperantiam, quæ ab Ariſtotele 3. Ethic. dicitur Mediocritas circa actus voluptatis, ſeu moderatio, aut tẽperies a ratione facta, vt S. Thom 2. 2. q. 141. art. 1. includit ſubiectiuè abſtinentiam, ſobrietatẽ caſtitatem, & pudicitiam. quibus omnibus, Dei ſeruum Ardouinum, decoratum fuiſſe traditur in dicta eius legend. fol. 3. lect. 6. his verbis; nec ſic ſimpliciter putandus eſt, illic breui tempore demoratus, ſed plurium annorum curriculis ibi vacaſſe, fletibus, orationibus, & ieiunijs. & fol 4 lect. 7. ſubdens; iugiter inquit, vigilijs, & orationibus deſudans, ſuumque corpus ieiunijs, & ciborum abſtinentia macerans.*

7 *Duplex igitur eſt ieiunium, & abſtinere a peccatis c. ieiunium. de cõſecrat. diſt 5 & abſtinere à ciborum luxu per ſingulos dies. c. Non dico. de conſecrat. diſt. 3 & vtroque fuit decoratus Ardouinus, dum ieiunijs, & ciborum abſtinentia, corpus ſuum macerauit; quid enim aliud indicat illa pluralitas ieiuniorum, niſi illam ieiunij duplicitatem; geminat pluralitas duas ſingularitates l qui, ſ. ſtichus ff. de legat. 3. & ſic ieiunium genericè ſumptum, mẽtes purgat, ſenſum ſubleuat, carnem ſpiritui ſupponit, cor contritũ humiliat, concupiſcentiæ nebulas diſſoluit, libidinem extinguit; caſtitati lumen portat, verboſitatẽ non amat, humilitatem commendat, hominibus denique præſtat vitam beatam ac ſanctam; vt de ſententia Auguſtini dicit Ripa in ſuo tract de peſte. tit. de remed. ad curandam peſtem. circa finem nu 151. vbi ore hyante exclamat, ò ſacrum ieiunium, ò abſtinentia, virtutum triumphatrix, & Regina, tu Dæmones comprimis, Tyrannos confundis, fortiſſimos ferarum vngues excludis, leonum ora contundis; ex quibus effectibus iudicanda venit Ardouini ſanctimonia, cum & ieiunium fuerit ſuæ virtutis actus vt dicũt Apoſtol. 6. ad Corinthios. & S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 2.*

8 *Adde, & tu miracula, ſe viuo, operata,*

*vt*

*ut maris tranquillitatem, & prouidentiam ad nautarũ inopiam, ex fol. 4. lect. 7. quæ quidem miracula in vita ſigna ſunt sãctitatis; per Auguſtin. Triumph. de poteſt eccleſ. q. 15. art. 4. verſ. ſecundo illis. & q. 16. art. 3. ad 2. Bellarmin. in c. Necmirum. n. 10 26. q. 5. Molpheſ. conſ. 46. nu. 42. & 43.*

9 *At morti proximus Ardouinus ſummoperè lætatus fuit, confirmãs eius animum totum cum* Diuina *voluntate, vt iam euidẽtiſſimè mortis ſibi Tramitem cognoſceret fore vicinum, cuius auidè ſatis, & iubilanter præpoſtulans aduentum, humillimè cum Propheta, pſal.* 115 *pſallebat, dicens.* Dirupiſti *Domine vincula mea, tibi ſacrificabo, hoſtiam laudis; & dum ſic voce iucundiſſima iubilaret, in pacis, & vitæ viam, ſuum obÿt diem. vt d. leg fo. 5. lect. 9. in cuius morte vniuerſalis fletus omnis ſtatus perſonarum factus fuit, & concurrebat populus clamans, vocibus ad Cœlum elatis; id autem vt Ceperanenſibus accolis eſt compertum, conuenerunt omnes in vnum, & eius venerabile corpus ſumẽtes, in eccleſiam Beatiſſimæ* Deigenitri*cis Mariæ Virginis baiularunt, & celebratis exequijs ſepelierunt. vt fol. 5. lec. 9.* Dies mortis *dicitur noſtra dies, quod clarè procedit in morientibus glorioſè, quia ea die naſci dicuntur, nunquam morituri. §. ſed in bello inſtit. de excuſat. tut. prout in Ardouino contingit; hinc natalitia dicuntur dies mortis illorum, quorum ad vitæ melioris exemplum merita. ſolemni trophæo recolunt. c. licet, & ibi no. Panor. extra de fe. & not per Gloſ. in §. fin. in verb. natalib. Inſtit. de ing. quod refert, & ſequitur Ripa in l. hæredes §. cum ita. n. 11. ff. ad ſenat. conſult. Trebellian. Natalitia noſtri Protectoris Ardouini celebrantur die 28. Menſis Iulÿ.*

10 *Acceſſit in eius ſepulcro Angelorum cuſtodia, & cantus, prout fol. 6 d. legen. miraculo primo. Noctibus namq. pluribus, ante eius corporis inuentionem, viris ſpiritualibus reuelatum eſt, circa tumulum eius, Angelorum aſſiſtentium cuneum, accenſos tenentium cereos, ac ibidem concinentium dulciſonas cantilenas. Qui Angelorum canticus, ſanctitatis eſt ſignum. Rota in Relatione B. Bertrandi. Miracul.* 5. Caſtellin. *de certitud. Glor. ſanctor. de ſign. ſanct. Canonizand. num. 11. verſ. Armonia quoque cœleſtis.*

11 *Inſuper ſplendor illius inſignis, dum quidam homo, vt fol. 11. mirac. 20. vidit, tunc de ipſa Eccleſia, quaſi egredientem columnam lucidã circumuolitantem eccleſiam, & uerè ſuo lumine illuſtrantem, deinde ad cælum velociter aſcendentem, iuxta illud Matt. 14. Iuſti fulgebunt ſicut Sol, in conſpectu tuo. ſplendorem autem demonſtrare corpora glorioſa, plenè probat Antonius de litteratis in ſumma par. 5. c. 8. n. 10. & quod eſt maiori admiratione penſandũ, vt fol. 6. mirac. 2. ſolam terrã, qua Chriſti famulus tegebatur, Solis radius magno illuſtrabat fulgore. iuxta illud Malachiæ c. 4. Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol iuſtitiæ.*

12 *In eius autem Altari, ſub quo ſanctũ eius corpus in capſa lapidea requieſcit, fuit continuò veneratus vt Sanctus, et vſque ad præſens veneratur magno cõcurſu, et deuotione populi, vbi ab immemorabili tempore, ſuperioribus ordinarijs permittentib. fuerunt celebratæ, et in dies celebrantur Miſſæ dicti Sãcti, cum proprijs, & peculiaribus Hymnis, & Orationibus, prout in eius legen. fol. 14 & 15. concurrit etiam, quod ab antiquiſ-*

quiſſimo tempore et forſan immemorabili; fuit tanquam ſanctus publicè depictus, & ſculptus, cum Diademate, & Radiorum ſplendore, ſimiliter cum titulo, & deſcriptione Sancti, & vt ſanctus adoratus, non ſolum ab vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verum & ab ipſis ſummis Romanis Pontificibus præcipuè à Paſchale II. Nono Kal. Nouembris 1114. poſt Concilij Ceperanenſis celebrationem, quam refert Baronius tom. 12. Annal. ab Innocentio III. die 23. Iunij 1207. dum Roma hac tranſiés Miſſamue in dicto ſacello celebrans, ad montem Caſſinum ſe contulit, Riccardo in Cronicon. Referente, & denique à Clemente VII. multoties, ſed præcipuè die 16. Ianuarij 1531. per eius ferè continuam Ceprani commorantiam, vt apud Io. Tarcagnotam videre eſt, quod nos latius explicauimus in noſtro ANTIQVO CEPRANO per totum, per immagines igitur quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoramus, & ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt vt in Concilio Niceno per totum, & notatur in Concil. Trident. Seſſion 25 de inuoc. & venerat. ſanctor. vbi apertis notis ſcriptum reperitur, quod ſanctorum Martyrum, & aliorum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa Beneficia à Deo hominibus præſtantur.

13 Nec obſtat Vrbani VIII. conſeruandæ memoriæ Pontificis conſtitutio, edita Romæ die 2. Octob. 1625. tom. 4 Bullar. n. 37. incipit Sāctiſſimus Dominus noſter ſollicitè animaduertens. vbi præcipitur, ne imagines ſanctorum, nondū à ſede Apoſtolica canonizatorum, aut Beatificatorum, pingantur cum radijs, ſplendoribus. aut laureolis, & ſi quæ appoſitæ ſunt amoueantur, & inhibuit apponi tabellas, & immagines ex cera vel argento. Quod idem confirmauit, & decreuit in generali Congregatione ſanctæ Inquiſitionis die 4. Aprilis 1625. quia dicta conſtitutio, vel decretum, non præiudicat ijs, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patruum, Virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel ordinarij colantur; vt ex Bulla docet Lezana in ſumm. tom. 1. cap. 12. n. 2. 39. & Bonaccina tom. 2. diſput. 3. q. 1. puncto 2 nu. 2. modo ſcientia, & tolerantia ſit longiſſimi temporis, quod ipſemet declarat eſſe ſpatium 30. vel 40. annor. ex C. de long. temp præſcript. & ex Prateio in ſuo lexico. verb. longiſſimum, & alijs, quod in Ardouino concurrit qui ab immemorabili tempore, & poſt hominum memoriam, fuit vt talis pictus, reputatus, & in Catalogo ſanctorum habitus.

14 Præterea additur ſuauis fragrantia, atque bonus odor, qui non ſolùm ex capite continuò emanat detecto argento, quo eſt inuolutum, ſed etiam ex vniuerſo corpore, quod mire redoluit, tempore apertionis capſæ, qua clauditur ad præſentiam Reuerendiſſimi D. Eugenij Fucij, Epiſcopi Verularum; qui odor Sanctitatis etiam eſt ſignum, vt Rota in relatione Beati Paſchalis Baymon in 3. miracu. in fine. in relatione S. Thereſiæ in 3. mirac. poſt mortem, & in Relatione S. Iſidori in primo miraculo poſt mortem, vbi referuntur exempla; & probatur ex S. Gregorio Ho-

*Homil. 38. & ratio eſt ex S. Thoma part. 3. q. 83. art. 5. ad 2. quia bonus odor pertinet ad repræſentandum effectum gratiæ nam ſicut Chriſtus plenus fuit bono odore, vt Geneſ. 17. ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni; ita à Chriſto deriuatur ad ſuos amicos, iuxta illud 2. ad Corinth. odorem notitiæ ſuæ ſpargit per vos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus* Deo; *prout videre eſt in relatione beati Bertrandi. mirac. 6. in relatione S. Franciſci* Xauerij. *mirac. 2. poſt mortem; & ideò canit ſancta mater eccleſia: ſancti tui Domine florebunt ſicut lilium, & ſicut odor* Balſami *erunt ante te.*

15 *Rurſus concurrit oſſium dicti ſancti incorruptio ſupra omnem naturæ potentiam, ſpatio ferè Mille & octodecim annorum, ab anno videlicet, 627. Dominicæ Natiuitatis, vſq; ad præſens 1645. quæ quidem incorruptio, dicitur miraculoſa, & ſanctitatis eſt ſignum; vt dicit Rota in relatione B. Paſchalis Baylon, in 3. miraculo, in relatione S. Iſidori, in 1. miraculo poſt mortem, plura afferens exempla. in Relatione S. Thereſiæ de miraculis. in tit. de exhumat. corporis propè finem, & in relat.* S. *Franciſci Xauerij in 1. Miracul poſt mortem. & ratio eſt ex S. Thoma 3. part. q. 51. art. 3. & 4. in c. 3. ſentent. diſtin. 21. q. 1. art. 2. & 4. & opuſcul. 2. c. 154. quia corpus poſt mortem eſt corruptioni, & putrefactioni obnoxium, vide plenè Caſtellinum, de certitud. glor. ſanctor. de ſignis ſanctitat. canonizandor. cap. 6. n. 3. fol. 544.*

16 *Denique eius ſanctitatis formam, & innocentiæ vitam Rex cœleſtis, cui militauerat, tantis declarauit ſignis, & miraculis extulit, quantis ex ſuccedentibus apparebit, vt d. leg. fol. 5. ita & taliter quod à fol. 6 ad 14. pluſquam 25. miracula antiquitus operata enumerentur, licet homines in dies eius interceſſiones implorent in eorum laboribus, et neceſſitatibus, prout multi gratias obtinuerunt, & in dies obtinent, ad cuius ſacrum tumulum, cupitum quiſque premium capeſcit, & vberrimis potitur beneficijs. vt fol. 1. d. legen. habetur in hymno, quæ quidem miracula poſt mortem ſimiliter ſunt ſignum ſanctitatis, vt Rota in Relatione* S. *Hyacinthi. de miraculis. verſic. quibus addimus. fol. 35. & in* Relatione *B. Paſchalis Baylon mirac. 2. S. Thom. part. 1. q 110. art. 4. ad. 1. & 2. 2 q. 128. art. 2. in corpore. Bellarmin. in c. venerabili num. 5. & ibid. Anchar. de teſtibus.*

17 *Hæc ſunt Illuſtriſſ. D. quæ in præſentia citra verborum lenocinium, de vita ſancti Ardouini Angligenæ de* Ceperano, *tibi referenda putaui, tum pro ratione temporis, quod mihi in hoc actu perexiguum conceditur, tum pro breuitate, qua auribus tuis fore conſultum cenſui, quæ ita tandem probata ſatis, & commendata intelligã, vbi iudicio tuo, non longè acerrimo minimè diſplicuerint. Vale* Ceprani die 1. Dec. 1642.

LAVS DEO.

VA1 1520833